16

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INFLAMMATORIA BILIOSA,

QUAE, MENSIBUS FERE AUTUMNALIBUS, INTER NAUTAS BRITANNICOS PORTU MAGONIS COMMORATOS, IN INSULA MINORICA, SAEVIT;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES SOMMERS DOWN,

Anglus-Damnoniensis,

CLASS. BRITANN. CHIRURG. ET COLL. CHIRURG. REG. LOND. SOD.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam viribus.—*Q. Horatii Flacci de Arte Poetica, lib.* 1.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXV.

DISSERTATIO MEDICA 16

INAUGURALIS,

DE

FEBRE

INFLAMMATORIA BILIOSA.

AUCTORE JOANNE SOMMERS DOWN.

PRAEFANDA.

Omnium quibus corpus humanum objicitur malorum, nullum est, quod vel saepius adoritur, vel ortum id pejus habet, vel eventu funestiore afficit, quam Febris. Ab ipsis vero medicinae cunabulis, in natura hujus et sede perquirenda, medici jure multum sudaverunt; attamen nos penitus adhuc elusit, variaeque theoriae quas protulerunt, parum omnino lucis huc reflexerunt: nec demum unum quidem praeceptum vel certum vel probabile, quo in curatione dirigamur, indicaverunt.

Hoc manifestum erit, si libros quos aliqui recentiores de morbis regionum inter Tropicos scripserunt, evolvas. Ibi, hominum a febre ingens perditio, sententiarum diversitas de causis huic ortum praebentibus, et rationes curandi ferè contrariae quas medicina admisit, admiratione percellunt.

Regiones Hispaniae Australes, marisque Mediterranei orae, aliquot abhinc annos, febrem, vix minus pestiferam perpessae sunt, quam quae loca Tropicos interjacentia infestat: utique scriptores* aliqui, a similitudine

---

* Arejula de Febre amarilla.

* Parece pues no debe quedar duda en que el carácter que distingue á semejante enfermedad es de una naturaleza particular: que su gérmen es exotico á nuestro suelo, y que los sintomas que la accompañan, son tan diversos de los que nos ofrecen las enfermedades propias de nuestro pais, como semejantes á los que caracterizan á las fiebres malignas contagiosas que de algunos años á este parte han desbastado los Estados Unidos de America, nuestra Carolina meridional, la Havana, Vera Cruz,

inter notas utriusque praecipuas, et rationem, eundem morbum esse commonstrare conati sunt, necnon modum quo adveheretur indicare. Documenta tamen ad hoc comprobandum prolata, fundamento tenuissimo nituntur, et ab exploratione medici illius sagacissimi et solertissimi Bancroft,* funditùs everti videntur; scilicet qui ostendit, causas ipsis locis oriundas satis superque rationem originis mali reddere posse.

Morbus de quo dissertatiunculam contexui, jam Professoribus hujus Academiae inclytae perdoctis, reverentia qua par est subjectam; morbus inquam, febrem illam Hispaniam vastantem, et febres autumnales regi-

---

y algunos otros puertos de Nueva España, de donde nos ha sido trasmitida y communicada en diversas épocas por medio del contagio.

Ensayo Medico-practico sobre El Tifus-Icterodes padecido en Cadiz, por los años de 1800-4-10-13. por Don F. Flores Moreno. Cadiz, 1813.

* Essay on the Yellow Fever.

onum ubicunque calidarum, multum refert. Quinquennium vero, quod illic Chirurgus navi longae Majestatis Britannicae merui, facultates idoneas hujus observandi qualicunque in statu mihi praestitit. Ad lectum aegrotantis historiam conscripsi, et eodem in loco effectus auxiliorum adhibitorum fideliter notavi.

Locus hic est, ut libenter agnoverim, me multa et utilissima praecepta ad ejus curationem pertinentia, a Gulielmo Burnett, medico nuper classi maris Mediterranei praefecto, viro nostra arte valde perito, accepisse; et adhuc amplius dum legerim, non ita pridem, libellum * suum de hac re, materia utilissima refertum.

Malum plerumque medio Julio, vel primo Augusto, (exempla tamen Maio non desunt),

* A Practical Account of the Mediterranean Fever, by W. Burnett, M. D. &c. London, 1814.

inter nautas navium bellicarum Portu Magonis commorantium se ostendit: attamen videndum est per menses Augustum, Septembrem, Octobrem, Novembremque etiam formâ quam dirissimâ. Frigore vero adventante, mitiora in dies signa evadunt, et impetus quoque rariores; maximeque circa Februarii kalendas ex toto evanescere consuevit.

Haec indicia morbum insigniunt et finiunt, eaque, me judice, in tempora tria diversissima satis commodè diducuntur; scilicet,

Gradus 1. seu Inflammationis.
——— 2. seu Ventriculi.
——— 3. seu Imbecillitatis.

Ante tamen historiam signorum aggrediamur, haud alienum erit, pauca de situ Magonis et Portu, imprimis subnectere.

QUÆDAM DE PORTUS MAGONIS SITU.

Magonis Portus, angulo Minoris australi et orientali, insulae Balearium mediae, se sinuat, et optimo jure nobilissimus omnium illo interno mare habeatur. Longitudinem millia circiter passuum; latitudinem ad quadrantem hujus exhibet. Littus ejusdem in modicam orbis portionem se circinat. Medio ferè centro insula parva, praerupta, invenitur, qua valetudinarium commodissimum nostrates anno Dom. MDCCXI. construxerunt; septingenta aegrotantium facile admissurum. Latus Boreale versùs portûs, e regione oppidi, prope fundum sinus, stat armamentarium, in situ quam tutissimo, inclusissimo, adeo ut per aestatem omnis portûs pars calidissima habeatur.

Statio in utrumque latus collinis terris cin-

gitur, adeo ut procellis saevissimis undae ejus parum agitentur. In hanc rivuli plurimi se exonerant, non tamen ejus magnitudinis aut momenti quod descriptio* Cardinalis de Retz nobis suasisset.

Hic loci nullus maris aestus vel reciprocatio aestus; ideoque ferè aqua suam altitudinem et planitiem servat. Imum petenti fit brevior et brevior; faucibus tamen ulnas aliquot in altitudine est. Margo septentrionalis vadosus est; atque per eum ac apud finem summum copia ingens limi teterrimi, cum quisquiliis navibus ejectis, reponitur. Haec moles, utique et materiam animalem et vegetabilem facile computrescentes, continens, odorem infensissimum, ingratissimum, exhalat, mensibus aestatis torrentibus; nec minuitur quod cloacae ex oppido in fundum por-

---

* Memoires du Cardinal de Retz, pag. 30. (Vol. I.)

tûs se aperiant, in aquam nimirùm penè stagnantem.

Coelum maxime serenum et mite. Thermometrum Fahren. sub umbra rarius 86° transcendens, aut ad 40° subsidens. Calor maximus est aut Augusto aut Septembre. Imbres in autumno descendunt torrentium instar, nec raro tonitru et fulmine stipantur. Turbines vehementes Decembrem et Januarium vexant, praecipue Aquilo, Boreasque. Aestate vix pluit, at rores nocturni graves descendunt. Nives, aëre etiam liquescentes, videntur, qui statim ac terram incidunt, solvuntur.

Oppidum Magonis ipsum, celsum et aëreum sedem habet. Oppidani, quia sobrii et temperati, plerumque valetudine optima fruuntur. Ab continente variola vel scarlatina aliquando advehuntur, quarum prior jam penè

deletur, quod vaccinatio* tam longè se diffudit. Summa domuum suarum mundities et puritas, cum coeli leni temperie, utique multum obstaret quin ulla contages per eos aut serperet aut glisceret. Dum febris epidemica per naves in portu Britannicas et alias grassaretur, ne unius quidem exempli memini hujus oppidanos adorti. Autumno vero intermittentes febres aspexi, plerumque tamen ad objectum vapori paludoso aliquem usque vestigare potui.†

* Hoc Minori primum intulerunt, anno Dom. 1800, Doctores Walker et Marshall, a Britannia, ejus rei causa, in varias Mediterranei oras emissi. Indigenae et medici et sacerdotes, primo maximè reclamaverunt, brevi tamen, utilitate et innocentià perspectis, per insulam totam propagaverunt. Historia introitus ejus et ortus in insula Minore paulo antehac ab amico optimo Doctore Rafael Hernandez, editur libello, cui titulus, "Observaciones Historicas del origen, progreso y estado actual de la Vacuna en Minorca."

† Prope Fournelles, intermittentes autumno crebrae fieri solent. Vicina hujus sunt loca paludosa, quae aestuario quodam efficiuntur. Locus totius insulae gravissimus putatur.

HISTORIA MORBI.

Morbus, ut jam proposui, in tria tempora vel gradus dividi potest, quae inflammationis, ventriculi, et imbecillitatis, dixi. Pergemus autem signa in singulis observata recensere.

Gradus I. Aeger plerumque sensum lassitudinis, et debilitatis universae percipit. De dolore capitis gravi, in sinciput ferè referendo, et per tempora jaculante, conqueritur. Vultus hebes; oculi inflammari et lacrymare videntur; cutis tactui calet, aliquando viscida sed plerumque sicca et arida. Lingua sordidula est. Sitit aeger; nauseam conqueritur, cibum non appetit. Pulsus quam maximè variant; in aliis pleni, cxx. in horae sexagesimâ micant; in aliis vero nihil ferè praeter solitum.

Horrores plerumque manifesti haec indicia antecedunt. Aegrotans aliquando se quodlibet fortasse operantem, subito peti sensit; aliquando diarrhoeae, cholerae suppressae supervenit.

Si morbus vehemens est, sin aeger auxilium non protinus ascivit, ut se male habere sentiit, aut si remedia intempestiva sunt, aut imperitè adhibita, mala celeriter intenduntur. Capitis dolor jam maxime urget, necnon pulsatio per tempora percepta. Cutis calor augescit, quam super sudores inaequales, praecipue circa faciem et cervices, observantur. Facies ipsa turget, et omne lineamentum augeri videtur. Vascula tunicae adnatae sanguine distenduntur; oculi lacrymis innatant. Lingua sordibus magis oneratur, maximeque apud basin.—Sitis urget. Aeger dolores regionum epigastrii et hypochondrii conqueritur. Ventriculus perquam irritabilis fit, quod continebat ejiciens. Quod emittitur saepe

tam virosum est, ut sensum urentem gulae et faucibus excitaverit. Thoracis graves dolores, pleuritidem referentes, cum punctionibus, nonnunquam lugent. Lassitudo et imbecillitas augescunt, quibus artuum majorum, et musculorum lumborum, et surarum dolores accedunt, adeo ut sitûs erecti quam maxime pigeat. Pulsus arteriarum se magis expandit, atque fit, ut plurimum plenus et durus.

Haec febris indicia per incipiens triduum vel quatriduum protinus videntur, et haec insultûs tempus primum efficere velim.

Gradus II. Deinde gradus secundus occipit. Hoc temporis plerumque tunica adnata et facies flavedine fucari videntur. Aeger torpet, altè suspirat, animi demittuntur. Mens commota est, ventriculus indies irritabilior, nihil fluentis retinere potest. Humores ejecti ferè biliosi ingenii sunt. De sensu

doloris et teneritudinis per totum abdomen multum conqueritur, saepiusque singultus molestissimus accedit. Cutis haud ita calida est ut gradu praeterito, et pulsus ferè minus pleni et crebri percipiuntur. Sordes linguam contegentes, fuscidulae sunt, sed haec per margines pura est atque humida. Aliis alvus bile et saepe sanguine descendit; aliis vero protinus a prima accessione intestina torpent. Flavedo in oculis et facie primum deprehensa, per totum corpus sensim vagatur, ingravescente morbo colorem fusciorem nacta. Epistaxis* frequens et copiosa saepe obvenit, dolorem capitis nunquam non miti-

---

* "Semejantes hemorrhagias [Epistaxis] en el primer periodo de la enfermedad, son casi siempre saludabales, pues disminuyen algun tanto la reaccion del sistema á que pertenecen, alivian el dolor de cabeza, hacen se presente el pulso mas blanda, é inclinan la cutis al sudor."

Ensayo sobre el Tifus-Icterodes padecido en Cadiz, por los años de 1800-4-10-13, por Don Francisco Flores Moreno, pag. 44.

gans. Urina bile infici reperitur, ubi flavedo simul accessit.

Gradus III. Indicia quae nunc sequuntur gradum tertium probe insigniunt. Vires prostratae, imbecillitas extrema eundem praecipue denotant. Vultus collabuntur: lingua, labia, et dentes crusta nigra et sordida obducuntur. Mens turbatur; modo delirium maximum, modo coma superveniunt. Pulsus contractus, creberrimus; saepe inordinatus, intermissus est; dolor abdominis, tactus impatientis, saepe ischuria; vomitus perpetuus; sanguinis profusio e naribus, gingivis, ano vel *urethra; anxietas et jactatio; aeger assidue in lecto se jactat; alvus sponte descendit; floccilegium; petechiae saepius et vibices per partes corporis aliquas; tendi-

* "In several cases that proved fatal, haemorrhagies took place on the sixth or seventh day, and, some times, at a later period, from the nose, mouth, anus, and urethra."—Burnett's Practical Treatise, pag. 163.

num subsultus; singultus assiduus, facieique musculorum tractiones, observantur. Respiratio fit magis atque magis molesta; sudores frigidi copiosè per faciem erumpunt. Pulsus jam penitus silet, et mors demum miseriis aegrotantem eripit.

Talia pro morbi historia in specie valentissima accipiantur, vel ubi per habitum corporis peculiarem omni vi cunque medicaminum obstitit: vel ubi protinus initio, male tractata est, aut omnino neglecta est. Tota quae indicia recensui, eodem homine rarissime inveniuntur; sed uno vel pluribus aegris observata sunt omnia, morbo scilicet populatim grassante.

Exemplis hujus lenioribus, caput dolore multo minus urgetur; imbecillitas minor est; ventriculi mala, nimirum nausea, vomitus, dolor ventris et molestia leviora fiunt. Mens nonnunquam alienatur, et aeger inter som-

num sibi mussitat, sed delirium altum, ferox nunquam adest. Oculi et cutis raro flavescunt; si id accidat tamen, coloris laetioris videntur, et demum omnis cohors malorum febrilium mitescunt. Exempla hujusmodi mitiora faustè die secundo, tertio vel quarto; aliquando tamen ad decimum quartum usque trahentia, finiuntur.

Ubi morte desiit, dies quintus et nonus, imo quanquam rarissime, aliquando tamen * dies secundus hanc afferat. Cum hoc eventurum est, excitationi ingenti † stupor accedit,

---

* Vide Burnett's Practical Treatise, &c. pag. 121.

† "I have seen some expire in what may be called the first stage of the paroxysm, the skin being chilled and wet with cold sweat; their pulse small and irregular, and their senses entire to the very last: but the greatest number are hurried off in the height of the hot fit, stupified, senseless, the breathing short and laborious, and the skin covered with a burning fiery heat."—CLEGHORN, Diseases of Minorca, pag. 178, 179.

et mors, ab effusione in cerebrum consequi, videtur. Molestiae intestinorum graves, viscerum abdominis impeditiones, et malè sanandae dysenteriae hanc febrem persecutae sunt. Phthisis etiam pulmonis huic in decessione supervenit, in eventum pestiferum celeriter rapiens.

* Hac in febre remissiones integras deprehendere nunquam potui, nec potuerunt ulli quibus ex amicis meis medici, de hac re sermonem injeci. Manifestum est, febrem ejusdem generis esse, quod †Cleghorn accuratis-

---

* "The fever of St Domingo I have termed a Remittent, because its type resembles that form more than any other. The remissions in most instances are very obscure, and in many not altogether discernible; I have, however, marked them very distinctly in a few cases."—MACLEAN's Enquiry into the Diseases of St Domingo, pag. 84.

† Cleghorn's Observations on the Epidemical Diseases of Minorca.

simè in speciebus quas viderat, descripsit, scilicet quotidianam, tertianam, semitertianam, &c. Haud parum igitur impeditum me sentio, dum rationem, quâ exemplis mihi submissis remissiones nullae essent, reddere conor. Cuidam coeli conditioni singulari, quem nos penitus ignorare necesse est, referri oportet.*

---

* "The climate of the most healthy regions undergoes frequent changes, for which we are by no means equal to account;—many diseases make their appearance suddenly in such places, without our being able to explain, in any satisfactory manner, the means by which they are produced; and they again retire, without any change in the climate in which they arose;—so minute are the circumstances which influence the origin of diseases."—MACLEAN's Enquiry, &c. pag. 73.

DE IIS, QUAE, SECTO CADAVERE, PATESCUNT.

Exploratio corporum febre mortuorum quanquam nullas ferè res ad ipsam aut indicia explicanda detexerit, ea tamen quae in corporibus a febre de qua sermo est confectis videntur, maximi momenti et commodi esse duco, quoniam ad curationem praeter solitum felicem, ad morbum depellendum viam illuxerint. Ordine recensebo regiones et viscera varia quibus structura mutari reperta est in hominibus hoc morbo absumptis.

Cerebrum. Organon hoc utilissimum vix non semper se injuriam tulisse ab excitatione vasculorum nimiâ, ostendit. Vascula quibus pia mater refertur ultra modum turgefacta

sunt. Cerebri anfractus conglutinati cohaerent. Si materies cerebri incisa sit, punctula rubida in medulla infinita se ostendunt, sanguinis guttulas effundentia. Serum ventriculos ejus omnes implere visum est, et hoc colore flavente,* plexu choroideo interim multo sanguine turgente.

Thorax. Thoracis viscera non minus inflammata modo videntur, quam in mortuis de pneumonia accidere solet.

Abdomen. Lympha coagulans super peritoneo hepatis se repandisse reperta est. Diaphragmati interdum per nexus praeter naturam internatos, adhaesit. Fabrica ejusdem interna plerumque parum mutari videtur, nisi quod solito grandius reperiatur. Vesi-

---

* Burnett's Practical Treatise, pag. 38.

* Bancroft, pag. 18. " testatur serum calore simili in ventriculis a Typho Icterode mortuorum se comperisse.

cae fellis tunicae crassescunt interdum, et cavum ejusdem bile densiore pissolaeum referente, impletur.

Ventriculus. Hujus lamina villosa quodammodo ferè inflammatur, et nigra pituita illinitur, qualis per vomitum ejicitur.

Lienis auctus* reperiebatur, cum materia sua in aliquod a sanguine coacto haud abhorrens, mutatus.

Omentum. Omentum et intestinum totum sese inflammata fuisse, signa manifesta prodiderunt. Lamellae hujus aspectum nigrescentem nonnunquam induerunt. Inter intestina tenuiora† intus susceptio haud semel visa est; et omnis superficies interna muco quodam ni-

---

* Cleghorn's Observations on the Epidemical Diseases of Minorca, pag. 180.

† Burnett's Practical Treatise, p. 39.

gello, eum ventriculi supra dictum simulante, obducitur.

DIAGNOSIS.

Accuratè hanc febrem aliis dignoscere, oportebit signa diversa alia alia excipientia in cursu morbi, temporaque anni unà contemplari. Febrem raro nisi Julio medio, Augusto ineunte videri, supra proposui ; cum plus minus grassatur donec frigus instat. Postea accessiones in dies fiunt pauciores, tandem, paulatim tamen, non amplius videndae. Primo tempore per validos insignes impetus in cerebrum, pulmonem, et ventriculum, aliaque viscera benè notatur. Cadaverum sectio haec organa tota plus minusve mali ab actione vasculorum aucta percepisse, ostendit. Die quarto circiter vel quinto ab

initio, indicia quae ventriculi nuncupavi, plerumque accedunt. Bilis tunc temporis, ut videtur, ingenti copia secernitur. Pars aliqua hujus, ipsa vomitione in ventriculum effunditur, atque hunc tam perpetuo irritabilem asservat, ut neque cibos neque medicamenta continere queat. Totum corpus quoque eadem impleri videretur ; oculi enim, cutis, et urina,* colorem icterosum adepta esse videntur. †Flavedo haec, pro discrimine hu-

---

* Flavedinem aliqui explicare tentaverunt, statu nescio quo sanguinis vitiato. Me judice autem, a bile in corpus advecta ; sive resorptione, sive ipsa in venas hepaticas praeter naturam impacta, originem ducat. Notatum est, hanc vix unquam supervenire, si protinus inter initium sanguis aegris liberaliter emissus est. Exempla etiam occurrunt, ubi non nisi post mortem aliquot horas videtur.

† "En los dias 5º y 6º suele presentarse el calor amarillo de donde esta enfermedad toma su nombre, siendo la conjuntiva donde se nota dicha modificacion con mas frecuencia."—Flores. Ensayo Medico-Practico, pag. 41.

jus morbi principi, assumpta est, aliquando tamen huic abest, et plerisque morbis autumnalibus, etiam regionum* frigidarum, se comitem praebet.†

PROGNOSIS.

Si incipiente morbo, videndi aegrum nobis copia suppeditetur, praesagium ferè se-

* "Flava cutis in febre inter milites classiarios apud Portum Adurni (Portsmouth) per mensem Augustum, 1765 saeviente, observata est. De hac Lind, "Some were "delirious, and a few vomited a quantity of bile; in all "the countenance was yellow."—LIND on Climates, pag. 25.

† A celeb. Johann. Pringle memoratur ut indicium Febris Belgii Epidemicae.—PRINGLE's Diseases of the Army, pag. 72.

cundum ferre licebit; tempestivo enim et solerti remediorum usu, haud parum proficere possumus, et ad mala sublevanda, et ad morbi cursum omnino sistendum. Exempla, nimio usui liquorum vinolentorum subsequentia, semper graviora reperiuntur, item pertinacius consiliis nostris obsistunt; quamobrem in ejusmodi exemplis, in sententiis nostris edendis, prudentia sane multa opus est.

Indicia haec nos eventum felicem hariolari vix non suadent: Impetus cerebrum versus signa nulla; pulsantis cujuslibet per tempora perceptio nulla; oculi nihil praeter naturam se ostendentes; pulsus modici, et lenes; ventriculus non commotus; calor per omne corpus aequalis, modicus; mens perspicax et serena; diarrhoea lenis; lingua humida; cutis mollis et madida.

Infausta sunt: Delirium subitum; stupor aut coma, motioni ingenti accedens; cutis

contracte et aride tactui percepta; vultus turgens cum oculis sanguine et lacrymis suffusis; dolor capitis atrocissimus; tempora pulsatilia; vomitiones crebrae, ita ut nihil ventriculo contineri potest; dolor epigastrii et umbilici regionis, pressione augendus; epistaxis; sanguinis profusio variis corporis particulis; lecto jactatio; lamina tetra, labia, dentes, linguam incrustans; cutis* fuscidè flavidula; petechiae; vibices; singultus; tendinum crebrae distentiones; floccorum carptus; pulsus inordinati.

---

* "Morbus regius ante septimum diem accedens, malum."—Coacae Praenotiones Hipp. pag. 531. edit. Linden. necnon Aph. III. 62.

MORBI CAUSAE.

Cum medici ferè modi quo causa proxima agat, rationem reddere conabantur, non a curiosâ et accuratâ phaenomenorum morborum inspectione, sed a sententiis prius conceptis; rationes ferè nunquam experientiae quadrant, multo minus usui convenire reperiuntur: atque nobis sanè penitùs ignorantibus naturam et indolem principii unde vita pendeat, omne quicquid hoc super commentati sumus, pariter ac quod de modo operandi medicamentorum ratiocinati sumus, mancum quam maximè et fallax esse necesse est.

Ut nunc stat res medica, conjecturas ad varia phaenomena morborum explicanda periclitari, inutile, nec fructuosum esset; quare ad causas remotiores transitus sit, quae isti

febri originem praebere videntur, quasque in in *praedisponentes* et *excitantes* diducimus. Transeundum est, ad Causam Praedisponentem.

CAUSA PRAEDISPONENS.

Cum antea proposui, febrem saepius in navibus portum Magonis per menses autumnales ineuntibus, oriri, ubi nautae causis quibuscunque corpus proclivius in febrem reddentibus ex necesse objiciuntur; nimirùm, adustioni per horas in radiis solis fervidissimis; roribus nocturnis gravissimis; et demum vini et liquorum ardentium usui nimio.

Socii navales semper ebrietati nimis addicuntur; hic loci autem vini vilitas occasiones multiplices ad tales Bacchationes praestat.

Cum ebrietati morbus supervenerit, indicia semper graviora, curatio anceps aut diuturna fiunt. Dirissima quidem exempla, ferè ad potum nimiè liberum vestigata sunt. Juvenes, vegeti, pleni et robusti, necnon qui scaphulis hic illic remigandis delecti sunt, procliviores in hanc febrem ferè videntur; imbecillissimos tamen et debilitatos adortum esse novi, et unum nutrire mihi aegrum contigit, cui accesserat inter salivationem jam evanescentem, quam ad delenda pertinacia syphilidis indicia secunda, subibat.

CAUSAE EXCITANTES.

Si pedem referas ad descriptionem portus Magonis quam feci, videbis materiam abundare, cui, optimo jure causae hanc febrem

excitantes tribuantur. Vis radiorum solis, in lutum, et stagna ad imum portus contracta, ubi per cloacas tota oppidi colluvies reponitur, exerta; miasmata quam plurimum noxia et valentia ad febrem inducendam, sine dubio efficiet. Observatum est, quo propiùs his contagiis naves in anchoris stent, eo plus aegrotare nautas. * Exemplum hujus veritatem luculenter corroborans Gul. Burnett narravit, nec mihimet non contigi talia ejusdem farinae et conspexisse et novisse.

Quantum usus me docuit, nulla qualiacuncunque argumenta existunt, quare haec febris origini contagiosae imputaretur. Nunquam mihi contigerunt exempla, sive in valetudinario, sive in navibus quibus potita est,

---

* Practical Treatise, &c. pag. 15. & 16.

* Lind, pag. 23. Vapores e lacu portus Adurni per aestatem febrem intermittentem nautis navium proximè jacentium induxisse narrat.—LIND on Climates.

ubi aegris ministrantes adorta est. Documentum praevalidum eam contagiosam non esse hoc est: si navis, febre interim nautas infestante, in altum ire jubeatur, brevi post anchoris soluta sit, febris evanescit. Idem ostendit causas remotas a conditione loci pendere. Naturam febris minimè contagiosam esse, Medicis Britannicis omnibus quibus videre contigit, persuasissimum est: Medicis autem insulanis opinio diversissima tenetur. * Appendice quaedam excerpsi ex opusculo Minoris, A. D. MDCCXI. de hac re scripto à Don Antonio Vilaseca. Prodiit causa morbi, qui gradu non tardo in autumno ejusdem anni nautas navium bellicorum *Temeraire* et *Invincible* vexabat, necnon quarundam navium onerariarum ibi in portu. Terror urbem tenuit, fama hanc febrem flavam esse increbrescente: qua propter medici valetudinarium quo aegrotantes a navi-

* Vide APPENDICEM.

bus nutriuntur, invisere jussi sunt, ut indolem mali expiscantur. Quorum in numero fuit hujus opusculi auctor. Ad unum autem de ingenio illius contagioso consentierunt, atque a * Carthagine nova invectam esse, unde tres septimanas circiter ante navis *Invincible* appulsa est, quam febris Magonis se ostendebat, judicaverunt. Illic certe inter milites Hispanicos et Britannicos maximè saeviit. Tali renunciatione facta, omnem commeatum inter insulam cui valetudinarium inaedificari proposui, necnon naves bellicas duas cum onerariis, et oppidum, lege strictissimâ interdixerunt. Exitus tamen rationes hos fefellisse ostendit. Ministrantium aegris ne unus quidem febre correptus est, neque alii, nisi qui valetudinarium mittebantur. In universum igitur, ni fallor, aequum erit credere febrem e causis quas jam recensui, originem

---

* Carthagena, portus haud parvi momenti in regno Murciae Hispanico.

trahere; ab effluviis scilicet vel miasmatis e limo aquaque stagnante portûs; cum objectu solis radiis, roribusque nocturnis; cum fatigatione ultra modum, et abusu liquorum vinolentorum, simul conjunctis.

RATIO MEDENDI.

Donec febris natura intima, qualis causa proxima vocata est, certa fide comperiatur, consilia quaecumque ad sanationem instituimus manca et fallacia esse, necesse est: ideoque omnia quae commentis praeviè conceptis et incertis innisa sunt, in usum adhibita, talis inquisitoris prorsus impatientia, nec fieri posse inveniuntur. Scientia igitur hucusque non perfecta, in phaenomenis morbidis quae cursu morbi oriuntur consilia medendi fundamenta ponere opus erit: necnon ad illa tol-

lenda, remediis uti, qualia usus comprobavit, et huic proposito efficacissima atque utilissima, ostendit.

Longum esset, etiamsi hujus opusculi limites sinerent, cuncta medicamenta contra febrem proposita hic recensere aut explorare: sat erit si modo dixerim, remedia diversissima et quam maxime inter se discordantia laudata esse, et si fides auctoribus sit consilio curatorio probe respondisse. Sanguinis missio, alvi purgatio, et sudoris excitatio, hoc aevo ad astra feruntur; illo verò quasi noxia et impotentia graviter damnantur. Stimulantia et tonica, simili sorte et laudata et vituperata sunt.

Cum hujus febris indicia in capita tria divisimus; melius erit, mihimet persuadeo, de remediis, quae singulis adhibenda sunt, separatim agere.

1 Grad. Inter initia solummodò hujus morbi ferè est quod nos penes sit, prompta et vehementi curatione aut ipsi protinus occurrere, aut ejus effectibus obvenire et temperare in organa quorum munera ad vitam animalem penitus necessaria sunt, quibusque vitiatis, cohors malorum subsequitur, medicum nimis saepe ut invalida sua ars sit, docentium. Si hanc occasionem praeterire siverimus, effectuum, quos nulla remedia nostra amovere possunt, merè taciti spectatores simus, quique omnibus nostris conatibus invitis aut statim morte desinunt, aut stamina aliorum malorum defigit, serius ocius mortem conciliantium. Igitur nimis prompti ad rationem medendi persequendam esse non possumus.

Signa primo gradu recensita, et plerumque dies quatuor primos occupantia, debellanda missione sanguinis sunt; aquae frigidae in corpus perfusione; purgantibus, si intestina

sinant, et regimine antiphlogistico (ut appellatur) quam strictissimè servato. Dolor capitis, sensatio pulsatilis per tempora, humiditas oculi et rubor, signa satis evidentia sunt aucti sanguinis in cerebrum impetûs ; sectioque cadaverum vascula ejusdem morbosè excitata esse sine dubio ostendit. Ventriculi irritabilitas, dolorque in thorace, variisque abdominis partibus, ab impetu haec viscera versùs sanguinis pendere, nullus dubito. Plena sanguinis ab arteria temporali, vena jugulari externa, vel brachio detractione, mala haec nunquam non allevantur, haud raro ex toto tolluntur, adeoque series illa febris morbosa omnino abrumpitur. Sed si remedia tempestiva huic excitationi non occurrunt, fabrica istiusmodi partium sic mutatur quod paucis aliquando diebus mors supervenit.

Quantum sanguinis emitti opus sit, a variis rebus simul accidentibus, multùm pendet,

